

DE PONTIFICIO CONSILIO DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS¹

SUMMARIUM: Novae competentiae tribuuntur Consilio, nec tantum quoad interpretationem [1]. Munus interpretationis respectu legum universalium Ecclesiae latinae, non vero, quamquam contrarium videri posset, etiam Ecclesiarum Orientalium [2]. Exclusive authentice eas interpretatur [3], pontificia auctoritate vicaria [4]. Necessitas audiendi Dicasteria alia, non ad valorem [5]. Aliae competentiae: imprimis iuvandi alia Dicasteria proponentia decreta generalia exsecutoria aut instructiones, quoad formam et cum iure congruentiam [6]. Similiter examinat, sub ratione iuridica, decreta generalia Episcoporum, S. Ap. submitenda [7]. Tandem decernit de cohaerentia cum legibus universalibus, legum particularium [8]. A suis interpretationibus, quae omnes fiunt «per modum legis» non datur recursus [9]. Agit in casu ad instantiam quorum interest, etiam singulorum fidelium? [10]. Nulla tandem ei tributa competentia canones recognoscendi et aptandi aut implendi iuris lacunas [11].

1. Simplex superficialis comparatio textus art. 154-158 Constitutionis J. PAULI II cum suo praecedenti m.p. «Recognito», 2-I-1984 (AAS 76, 433-434), quo post Codicis 1983 promulgationis constituerat Commissionem interpretationis, statim prae oculis ponit magnum discrimen inter illam Commissionem atque actuale Consilium, quoad *competentiam* maxime versari.

Profecto, non maioris momenti apparet *nominis* mutatio, siquidem, quamquam titulus m. p. «Recogni-

¹ Constitutio Apostolica «Pastor bonus»: 20-XI-1987 (AAS 80 [1988] 841-923).

to» sonabat «*Consilium seu Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos*», prout fuerat competentia Commissionis erectae a BENEDICTO XV anno 1917 («Cum Iuris canonici», I) verumtamen in corpore documenti, competentia ad interpretationem non continebatur tantummodo intra terminos Codicis, sed et ad ceteras leges universales Ecclesiae latinae extendebatur (AAS 76, 1984, 434).

Mutata nunc competentia, non continetur iam intra limites interpretationis legum, sed et ad alia se extendit prout infra exponendum erit.

I. DE LEGIBUS INTERPRETANDIS

2. Erat unicum munus tributum Commissioni iam a BENEDICTO XV. Duobus autem modis hoc munus qualificabatur a J. PAULO II in m.p. «Recognito», imprimis ratione *obiecti*, deinde ratione *exclusivitat*is.

Ratione obiecti campus competentiae determinabatur praeter Codicem, omnes aliae leges universales *Ecclesiae latinae* [I], ut dicebam². Nunc autem haec limitatio non legitur in textu Constitutionis «Pastor bonus»: «*Consilii munus in legibus Ecclesiae interpretandis praesertim consistit*» (art. 155). Hinc quaeri

² Hinc, logice ultimum praescriptum m.p. «Recognito» vi cuius cessabat «Pontificia Commissio Decretis Concilii Vaticani II interpretandis», quae per m.p. «Finis Concilio»: 3-I-1966, n. 5 a PAULO VI creata fuerat (AAS 58 [1966] 39), cum munere etiam coordinandi labores Commissionum postconciliarium, ut Commissio Centralis. Eodem praescripto m.p. «Recognito» cessare etiam censebatur «Commissio Codici Iuris Canonici recognoscendo», quae iam absolverat suos labores post Plenariam sessionem mensis octobris 1981, quamquam Commissio haec nullam competentiam acceperat ad interpretationes (AAS 76, 1984, 434).

potest, estne intentio legislatoris, competentiam tribuere Consilio, ut leges universales interpretetur respicientes etiam *Ecclesias Orientales*, sive eas quae in Codice iuris Canonici orientalis continebuntur, sive alias leges universales?

Primo aspectu responsio videtur danda *affirmativa* tam ex universalitate sive tituli sive textus, circa hunc Consilium, quam ex eo quod non aliud quoddam Consilium constituitur pro legibus quae Orientales Ecclesias respiciant, neque aliqua «Sectio altera» intra ipsum Consilium, dum Constitutio «Pastor bonus», aliter ac Codex Iuris Canonici «latinus» (can. 1), non tantum respicit «*unam Ecclesiam latinam*», sed Ecclesiam universalem. Iam in primo articulo Constitutionis (art. 154) legimus: «*Consilii munus in legibus Ecclesiae* (sic, sine addito) *interpretandis praesertim consistit*». Certe Consilium tenebitur audire Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus quotiescumque agatur de legibus Ecclesias Orientales respicientes (art. 155).

An potius asserendum est munus interpretandi leges quae orientales respiciunt, cadere potius intra competentiam Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus? Etenim vi art. 56 qui de huius Congregationis competentia agit: «*...ea cognoscit, quae sive quoad personas sive quoad res, Ecclesias Orientales respiciunt*», et vi art. 58 § 1 in specie: «*...competentia ad omnia extenditur negotia quae Ecclesiis Orientalibus sunt propria, quaeque ad Sedem Apostolicam deferenda sunt, sive quoad Ecclesiarum structuram et ordinationem, sive quoad munerum docendi, sanctificandi et regendi exercitium, sive quoad personas, earundem statum, iura et obligationes.*»

Re quidem vera, interpretatio legum universalium pro Ecclesiis Orientalibus ad Sedem Apostoli-

cam deferenda est, unde non ad aliud Dicasterium, scilicet Consilium de legum textibus interpretandis, sed ad Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus.

Haec opinio confirmari videtur ex dispositione art. 58 § 2 quatenus salvat competencias Congregationis pro Doctrina Fidei, Paenitentiariae Apostolicae, Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae et Tribunalis Rotae Romanae, Congregationis Cultus divini et Congregationis de Sacramentis pro dispensatione super rato, nulla facta mentione competentiae Consilii pro legibus interpretandis³.

3. Leges universales *pro Ecclesia* quidem *latina* interpretatur Consilium, sive ergo leges sint quae antecesserint Codicis promulgationem, sed in vigore pergunt manere, uti exempli gratia, Const.Ap., «Sapientia Christiana»: 15-4-1979 (AAS 71 [1979] 469-499), sive CIC promulgationem sint subsequutae, ut Const.Ap. «Divinus perfectionis Magister», 25-I-1983 (de processu pro causis canonizationis)⁴, vel etiam ipsa Constitutio Apostolica «Pastor bonus».

Competens est ut «*proferat*» (art. 155) Ecclesiae latinae legum *universalium* interpretationem. Certe leges particulares interpretatur legislator particularis (can. 16 § 1)⁵.

³ Const. «Regiminis Ecclesiae Universae», in art. 45 § 1 statuebat «*Congregatio* [pro Ecclesiis orientalibus] *omnibus facultatibus gaudet, quae aliae Congregationes pro Ecclesiis ritus latini obtinent...*», quae verba certe iam non leguntur in Const. «Pastor bonus», verumtamen verba art. 58 § 1 terminis diversis idem dicere velle videntur.

⁴ Promulgatur die 9 aprilis 1983 (AAS 75 [1983] 349-355), iuxta praescriptum can. 9/1917 (tunc adhuc in vigore), quod praescriptum non mutatur per can. 8 § 1.

⁵ Nota, legislatorem particularem *non posse* aliis committere potestatem interpretationis authenticae quae habeat eandem vim

*Ratione exclusivitat*is: explicitatio huius exclusivitatis in munere interpretandi leges quae habebatur in m.p. «Recognito» [II], non repetitur in Constitutione «Pastor bonus». Verumtamen huiusmodi exclusivitas implicite continetur in ipso facto creationis Consilii, utpote quod ad hoc *praesertim* (art. 154) instituitur, ut leges universales interpretetur. Atqui, nemo extra supremum legislatorem has leges interpretari potest nisi «*is cui potestas authentice interpretandi fuerit ab eodem commissa*» (can. 16 § 1).

Ut patet haec exclusivitas non nisi de *authentica* interpretatione dicitur, de qua in articulis Constitutionis «Pastor bonus» (cf. art. 155). Interpretationem etenim doctrinalem quicumque copiam scientiae acquisiverit canonicae, suo nomine et auctoritate, proponere potest⁶.

ac lex ipsa (can. 16 § 2), etenim leges infra R.P. non possunt valide delegare potestatem legislativam (can. 135 § 2).

⁶ Interpretationem *authenticam* intelligo, sicut communiter commentatores post Codicem 1917, illam scilicet quae *auctoritative*, seu cum vi obligandi, ex commissione legislatoris fit (can. 16 § 1), sive per *modum legis*, scilicet per decretum generaliter communitati propositum (§ 2), sive per *modum sententiae iudicialis* aut *actus administrativi* in re peculiari (§ 3). Non ergo sicut communiter ante Codicem 1917, ex fontibus romanis, «quae a legislatore fit per legem». Iuxta STAFFA, solus WERNZ, post REIFFENSTUEL, *authenticam* habuit *auctoritative* impositam. Iuxta STAFFA in can. 16 ageretur de *authentica* (in §§ 1-2) et de *auctoritativa* (§ 3), de qua melius ageretur in canone separato (D. STAFFA, Imperfezioni e lacune del primo libro del Codice di diritto canonico, *Apollinaris* 33 [1960] 56-59). In allocutione J. PAULI II, ad Rotam, 26-I-1984 continetur distinctio interpretationis *authenticae stricto sensu* (can. 16 § 1-2) et igitur *sensu lato* (can. 16 § 3).

Interpretatio *authentica* per *modum legis* promulgari debet (can. 16 § 2). Non raro responsiones, cum mentionem faciunt de audientia pontificia dicunt S.P. publici iuris fieri interpretationem mandasse, quod profecto non idem est ac promulgari. Ipse Card.

Et quidem dicitur de authentica interpretatione *per modum legis*, siquidem tam Dicasteria et Superiores, quam Tribunalia possunt interpretationes *per modum actus administrativi in re peculiari et per modum sententiae iudicialis* proferre. Certo Dicasteria et Superiores possunt intra propriam competentiam Decreta generalia exsecutoria ferre, quibus «*pressius determinantur modi in lege applicanda servandi aut legum observantia urgetur*» (can. 31 § 1), modo analogo ac tunc cum emanant decreta particularia ad decisionem vel solutionem administrativam controversiae et eo ipso practicam interpretationem per modum legis exhibent. Prout mihi videtur, quamquam huiusmodi interpretatio practica obligatoria pro communitate evadit, attamen non induit naturam interpretationis authenticae, quia talis practica interpretatio obligat sicut obligat lex ipsa et vi ipsius legis, non vero vi novi actus seu Decreti generalis exsecutorii in quantum interpretativi. Praeterea quatenus alium diversum sensum ac lex ipsa suggereret, quatenus dubium *iuris* solvere intenderet, quatenus sive extenderet sive coarctaret legem, nullum quidem valorem haberet huiusmodi Decretum generale exsecutorium, nisi talis specifica competentia Dicasterio tributa fuerit (cf. art. 18).

4. Hanc authenticam interpretationem per modum legis, quae «*eandem vim habet ac lex ipsa*» (can. 16 § 2), Consilium profert, «*pontificia auctoritate firmatam*». Profertur a Consilio, et quidem sub responsabilitate Consilii, sed ex auctoritate pontificia,

Praefectus indistincte tamen videtur adhibere terminos (cf. CASTILLO LARA, Card. R.J., De iuris canonici authentica interpretatione in actuositate pontificiae commissionis adimplenda (oratio), *Communicationes* 20 (1988) 265-187 [276; 281; 286].

seu ideo quia pontifex, ut supremus legislator, eidem Consilio hanc commissit potestatem, iuxta (can. 16 § 1).

Proinde non agitur de «firmitate» huiusmodi potestati *superadditae*, ita ut omnes et singulae interpretationes ita «firmentur» auctoritate pontificia, ut habendae sint interpretationes ipsius pontificis, prout quis id intelligere potuisset ex littera m.p. «Recognito»: «...ius erit... interpretationem authenticam proferendi Nostra auctoritate firmandam» [I]. Ideoque, approbatio quae in audientiis pontificiis responsionibus tribuitur, non intelligenda est approbatio *in forma specifica* sed ea quae dicitur *in forma communi*.

Non hic aliud dicitur nisi quod de potestate omnium Dicasteriorum Curiae Romanae iam affirmabatur, scilicet Dicasteria gaudere potestate *vicaria*, a R.P. concessa, quae quidem ordinaria est utpote quod adnexa officio et per officium titularibus concessa (can. 131 § 1). Verum, siquidem *vicaria*, non nomine proprio sed nomine et auctoritate pontificis exercenda⁷.

Quam doctrinam suam facit Constitutio «Pastor bonus»:

«*Praeter hanc indolem ministerialem, a Concilio Vaticano II character, ut ita dicamus, vicarius Romanae Curiae*

⁷ Iam in Decreto Christus Dominus, Concilium Vaticanum II id his expressit verbis: «*In exercenda suprema, plena et immediata potestate in universam Ecclesiam, Romanus Pontifex utitur Romanae Curiae Dicasteriis, quae proinde nomine et auctoritate illius munus suum explent...*» (9, 1).

Explicat J. PAULUS II, postquam illum textum memorat, «*Perspicue enim indoles instrumentalis Curiae his indicatur, et ipsa veluti instrumentum in manibus Pontificis quodammodo describitur, ita ut nulla vi nullaue potestate polleat praeter eas quas ab eodem Summo Pastore recipit*» («PB» n. 7: AAS 850).

in luce ulterius ponitur, quandoquidem ipsa, ut iam diximus, non proprio iure neque proprio Marte operatur: potestatem enim a Romano Pontifice acceptam exercet essentiali quadam et nativa cum ipso necessitudine, quia huiusmodi potestatis proprium est ut agendi studium cum voluntate illius, a quo oritur, semper coniungat...» (nº 8: AAS 850-851).

5. Pro exercitio huiusmodi potestatis authentice interpretandi leges, Consilio imponitur obligatio ut, si agatur de re maioris momenti, *audiat Dicasteria competentia circa materiam de qua agitur*. Quod praeceptum iisdem verbis continebatur in m.p. «Recognito» [I], sicut iam pridem, fere iisdem verbis, in m.p. proprio BENEDICTI XV [I].

De hoc praecepto duo occurrunt. Primo, ponitur quaestio utrum Consilium subiacere dicendum sit praescripto canonis 127 § 1, ita ut si, quacumque de causa, deliberate vel non, omiserit auditionem, *invalidè* interpretationem daret. Attamen, prout mihi videtur, etsi id affirmetur, invaliditas quae theoretice haberetur ex defectu auditionis, in praxi non esset affirmanda, siquidem legislator «iura [universalia] scrinio cordis habet», et in casu suum canonem 127 § 1, unde, concedendo approbationem in forma communi, praesumitur se cogitasse praeceptum servatum esse, nec se concedere approbationem *contra* ius. Praesumitur ergo ipsum approbasse iudicium Consilii. Immo, et ipsum instrumentum pontificis ad leges pro universa Ecclesia authentice interpretandas «per modum legis», censendum est «iura scrinio cordis habere», ex quo prasumendum est ipsum non audivisse aliud dicasterium eo quod non de «*rebus maioris momenti*» (art. 155) agi iudicavit.

Secundo, de hac quidem clausula «*in rebus maioris momenti*» agendum est, quae quidem difficultatem

creare potest, data natura relativa termini «maioris» momenti. Age vero, cuius iudicio standum erit, ut determinetur utrum agatur de re maioris vel minoris momenti? Iudicio ipsius Consilii an iudicio illius Dicasterii ad quod res pertinet? In favorem utriusque sententiae argumenta afferri possunt.

Argui quidem potest standum esse iudicio illius Dicasterii ad quod res pertinet. Immo, primo aspectu videretur id certum dicendum, siquidem antecedenter ad interpretationem terminorum legis, Dicasterium determinatum considerare potest materiam ipsam esse maioris momenti, unde et interpretationem verborum legis maioris esse momenti, et vel ipsum Dicasterium potuit interpretationem authenticam postulare ideo quidem quia iudicabat agi de re maioris momenti. Quod si hanc sententiam accipias, tunc invalide ageret Consilium non audiendo Dicasterium quoad legem interpretandam.

Attamen exinde sequitur sententiam hanc sustineri non posse, etenim in praxi, Consilium *deberet* cum aliis Dicasteriis *semper* communicare omnia dubia proposita ut certus fieret de iudicio Dicasterii circa momentum quaestionis, non iam ergo tantum *in rebus maioris momenti*, quod est contra textum art. 155.

Relinquitur ergo ut ipsum Consilium «de legum textibus interpretandis», iudicium de momento legis ferre debeat, ut determinet utrum vel non audiendum sit Dicasterium ad quod illa materia pertinet, et quidem rationabiliter, siquidem consideratio et aestimatio maioris vel minoris momenti alicuius materiae legalis, pertinet ex natura rei ad ipsam legis interpretationem.

Et ex hoc modo considerandi rem, etiam confirmatur superior sententia quod si Consilium non cum alio egerit Dicasterio, quia rem minoris putavit mo-

menti, cum e converso a Dicasterio maioris momenti pro praxi habeatur, defectum non possit valorem interpretationis afficere, et iudicium Consilii confirmari approbatione pontificia in forma communi in audientia Praefecto aut Praesidi Consilii data.

II. ALIA MUNERA PRAETER INTERPRETATIONEM

Novitas in Constitutione habetur relate ad haec munera, quae noviter Consilio attribuuntur. Imprimis relate ad alia Dicasteria Curiae, deinde relate ad coetus Episcoporum, ac tandem relate ad omnes «quorum interest» promulgatio legum particularium.

6. *Relate ad Dicasteria*, Consilio committitur ut alia Dicasteria adiuvet quando haec Dicasteria sibi proponunt Decreta generalia exsecutoria promulgare in materia propriae competentiae, vel Instructiones mittere (art. 156).

Non agitur de iudicio ferendo a Consilio circa necessitatem, utilitatem, opportunitatem, huiusmodi decreta ferendi vel Instructiones mittendi. Hoc iudicium est de competentia Dicasterii quae decreta ferre vel instructiones mittere intendit. Agitur solummodo de auxilio ferendo sub duobus respectibus. Imprimis quoad *substantiam* ipsam decreti vel instructionis, deinde quoad eorum *formam*, scilicet «...ut... iuris vigentis praescriptis congruant et recta forma iuridica exarentur».

Quoad *substantiam* quidem, ut «congruant iuris vigentis praescriptis», etenim si decreta generalia exsecutoria contraria sint legibus «non derogant legibus, et eorum praescripta quae legibus sint contraria omni vi carent» (can. 33 § 1), atque idem valet de instructionibus (can. 34 § 2). Ut patet Dicasteria, quatenus suprema instrumentali potestate exsecutiva pollent,

iura cognoscere prasumuntur, verumtamen auxilium Consilii «De legum textibus interpretandis» utile esse potest, ne errores, qui valde essent nocivi pro universa communitate ecclesiali, vel pro iis qui curant de exsequendis legibus, committantur.

Quatenus agitur de instructionibus hoc praescriptum magis adhuc necessarium videri poterit, quatenus conceptus ipse instructionum a Codice mutatus est, nec quatenus iudicari potest ex experientia horum sex annorum a Codicis promulgatione, a Dicasteriis prae oculis haec mutatio habetur, prout statim dicetur agendo de forma.

Quod vero ad *formam* attinet, duo saltem a Consilio conferi poterunt. Imprimis ut vel titulus ipse documenti respondeat ipsius naturae. Ut innuebam, Dicasteria non videtur prae oculis habere mutationem a Codice introductam quoad conceptum instructionis attinet. Quae enim instructiones post Codicis promulgationem in AAS relatae sunt, non sunt actus administrativi dati ad ulterius declaranda legum praescripta atque rationes determinandas in iisdem exsequendis, et quidem «*ad usum eorum... quorum est curare ut leges executioni mandentur*» (can. 34 § 1), sed iuxta conceptum prae Codicalem, sunt *declarationes doctrinales* ad communitatem christianam missae⁸.

⁸ Sic duae *Instructiones* a CDF de Theologia Liberationis: 6-8-1984 (AAS 76 [1984] 876-909) et 22-3-1986 (AAS 79 [1987] 554-599), necnon *Instructio* «Donum Vitae» de Bioethica diei 22-2-1987 (AAS 80 [1988], 70-102).

E converso, sub titulo *Epistulae*, diei 29-9-1985 (AAS 77 [1985] 1169-1170), vere agitur de *Instructione* CDF pro applicatione can. 1172 (de exorcismis). Verum, pari modo vocatur *Epistula*, documentum quo doctrina ipsius Congregationis circa praxim pastorem homosexualium ad omnes Episcopos exponitur, 1-10-1986 (AAS 79 [1987] 543-554), quae aptius, ut videtur, vocaretur

Hoc tamen prae oculis habendum, art. 156 non *imponere* Dicasteriis ut decreta instructionesve submittant Consilio pro dicto iuvamine obtinendo. Eisdem potius *ius tribuit* ut id faciant, et consequenter onus Consilio imponit ut, si huiusmodi auxilium expectatur, idem tribuatur.

7. *Relate ad coetus Episcoporum* examinare debet Consilium decreta generalia a coetibus EE., quae Sedi Ap. sunt submittenda «*ratione habita iuridica*» (art. 157).

Imprimis, agitur heic de proprie dicto praecepto, cum dicat *subicienda*. Et quidem de praecepto imposito aliis Dicasteriis quibus coetus EE. seu Concilia particularia et Conferentiae Episcoporum sua Decreta generalia summittere debent, ut sunt Decreta genera-

Declaratio doctrinalis. CDF etiam vocat *Epistulam*, 25-7-1986 (ad Dnum. Curran) verum *Decretum singulare* quo missio canonica docendi aufertur (AAS 79 [1987] 117-118). Aliae Declarationes doctrinales circa libros a L. Boff (AAS 77 [1985] 756-762) ac E. Schillebecx (AAS 79 [1987] 221-223) a C. vocantur *Notificationes*.

Immo, recentissime et documentum dedit CDF *nullo titulo* (de nova formula professionis fidei et de iusiurando fidelitatis: AAS 81 [1989] 104-106). De *Decreto Generali* agitur, ex parte *exsecutorio* (quatenus novam professionem fidei iubet: cf. can. 833), ex parte *vim legis habente* (quatenus novam imponit obligationem iusiurandi fidelitatis), de quo, quaestionem vel validitatis non immerito posueris, quae quaestio vitari potuisset si indicatio huius art. 156 (nondum quidem vigentis, sed iam noti) prae oculis habita fuisset.

Etiam CCler, *Epistulam* vocat, veram *Instructionem* (ad mentem can. 34 § 1) diei 18-3-1987 (AAS 79 [1987] 603-604) circa vestes Chorales.

Pariter CRIS duas *Epistulas* dedit die 2-I-1988 (AAS 80 [1988] 104-107) quae proprie sub nomine *Instructionis* venirent utpote quae agunt de applicatione can. 592 § 1 (de informationibus mittendis ad Ap. Sedem ab Institutis Vitae consecratae).

lia Conferentiarum Episcoporum recognoscenda (a CCulD) de versionibus et aptationibus librorum liturgicorum (art. 64 § 3); vel (a CproEE vel a CproGEv) iuxta can. 455 § 2; aut (a CproEE vel a CproGEv) Decreta generalia vinculantia Conciliorum particularium, aut quae determinant Statuta Conferentiarum Episcoporum (art. 82; 89); Decreta Conferentiarum Episcoporum approbantia (a CCler) suos Catechismos in conformitate cum can. 775 § 2 (art. 94)⁹; Decretum plurium Episcoporum (cf. can. 1423 § 1) constituens unicum tribunal pro pluribus dioecesibus approbandum (a STSAp) (art. 124, 4^o).

In hoc quidem praecepto explicite Consilio tribuitur competentia examinandi decreta sub aspectu iuridico, scilicet, prout dicitur in art. praecedenti, examinare debet utrum «*iuris vigentis praescriptis congruant et recta forma iuridica exarentur*». Siquidem praescriptum fit Dicasteriis ut ea subiciant Consilio, patet id faciendum antequam Dicasteria recognitionem vel approbationem concedant. Auxilium autem revera non fertur Dicasteriis ipsis, sed potius coetibus

⁹ Approbatio S. Sedis praescribitur a can. 775 § 2 pro catechismis quos Conferentia Episcoporum curare potest «*pro suo territorio*». Minime praescribitur pro «*aliis scriptis ad institutionem catecheticae pertinentibus*», ut habetur in art. 94. Verba «*necnon alia scripta ad institutionem catecheticae pertinentia*», habentur in can. 827 § 2 qui exigit quidem eorundem approbationem, sicut catechismorum (aliorum scilicet auctorum non Conferentiae Episcoporum), ab auctoritate competente, scilicet ab Ordinario loci, non ab Apostolica Sede. Solum si Conferentia Episcoporum, suo Decreto per 2/3 suffragia, talia instrumenta intendat imponere pro suo territorio, petenda erit Decreti recognitio (can. 455 § 2), non approbatio illorum instrumentorum vi can. 775 § 2 aut can. 827 § 1.

Episcoporum, quo prospiciatur rectae formae iuridicae Decretorum quae a coetibus dabuntur¹⁰.

8. *Relate ad alios* «quorum interest» promulgatio legum particularium. Alia maioris momenti novitas habetur in competentia quae Consilio tribuitur decernendi de legitimitate vel illegitimitate legum non universalium (art. 158).

Agitur de omnibus *legibus* non universalibus, etenim quaestio est de legibus et decretis generalibus «*a legislatoribus infra supremam auctoritatem*» (cf. can. 29) latis, scilicet sive legibus Conciliorum particularium, sive decretis generalibus vinculantibus Conferentiarum Episcoporum (cf. can. 455 §§ 1-2), sive legibus Synodorum diocesanorum, sive legibus vel decretis generalibus competentium auctoritatum Institutum Vitae Consecratae.

Consilium *decernit* seu suo Decreto statuit auctoritative legem non universalem consentaneam esse vel non esse legibus universalibus.

Quid iuris si Decretum Consilii contineat decisionem negativam, scilicet illam legem particularem non cohaerere cum lege aliqua universali? Sub aspectu theoretico, res videtur clara, cum illa lex particularis vim nullam habeat iuxta can. 135 § 2 qui statuit «*a*

¹⁰ Sit exemplum decretum aliquod circa can. 522 qui statuit «*ad certum tempus ab Episcopo dioecetano nominari potest [parochus], si id ab Episcoporum Conferentia, per decretum admissum fuerit*». Iuxta canonem obiectum decreti habetur in admittendo vel non quod parochus *possit* nominari ad tempus. Si vero decretum *imponat* nominationes ad tempus, vel *praescribat* tempus determinatum, libertatem Episcopi limitando, erit contra ius vigens. Pari modo, erit illegitima (contra ius) limitatio iuris Episcopi, si Decretum conferentiae Episcoporum non modo *admittat* possibilitatem quod laici assistant matrimonio (can. 1112 § 1), sed *imponat* singulis Episcopis ut delegationes laicis dent.

legislatore inferiore lex iuri superiori contraria valide ferri nequit».

Age vero, quatenus est natura iuridica huius Decreti? Primo aspectu videretur actus administrativus continens interpretationem authenticam «*in re peculiari*» (can. 16 § 3), ideoque legislatorem infra supremam auctoritatem omnesque illos qui particulari lege tenerentur, ligare.

Verumtamen, alia ex parte, non agitur de casu contemplato in can. 16 § 3, scilicet de decisione in casu particulari vel de resolutione auctoritativa, via administrativa, controversiae, quae eo ipso continent *de facto* interpretationem alicuius legis. Sed agitur immediate et directe de interpretatione danda, quia ipsa controversia tota versatur circa sensum legis particularis in relatione ad legem universalem, vel potius de sensu *legis universalis* in relatione ad datam legem particularem. Considerandum igitur est Decretum illud esse decretum quoddam generale seu «per modum legis», quod excludit determinatam interpretationem quae cohaereret cum aliqua lege particulari.

Quod si legislator particularis dissentiret ab hac decisione, posset contra ipsam recurrere?

9. Quaestio haec de recursu contra Decreta interpretativa Consilii, mihi videtur quaestio elegans. Ea quaestio non ponitur, nec quod sciam posita umquam est sub Codice 1917, relate ad interpretationes legum universalium. Eiusmodi enim interpretationes Commissio (sive creata a BENEDICTO XV, sive creata a PAULO VI, sive tandem a J. PAULO II ante modernum Consilium) sunt interpretationes *per modum legis*, ex commissione supremi legislatoris. Nec praeter Consilium aliud habetur organum in Curia romana cui competat legum universalium interpretatio. Non igitur Consilium habet superiorem ad quem

recurri possit. Patet quod, quamquam semper est possibile adire personaliter S.P., tunc iam non est quaestio de normali aliqua superiore instantia. Immo S.P. nec potest nec decet personaliter occupari in examinanda quaestione theoretica de sensu alicuius legis. Ad hoc enim instituit Consilium, eiusque interpretationes approbat.

Iam vero, prout dicebam, quando agitur de decreto decernenti legem aliquam particularem «*universalibus Ecclesiae legibus consentanea[m]*» non esse, a quo dissentiat legislator aliquis particularis, quamquam iuxta art. 158 eius obiectum videatur esse legem particularem, re quidem vera agitur de interpretatione *legis universalis*. Non ergo agitur de Decreto aliquo administrativo in re peculiari, sed de Decreto generali continente interpretationem «per modum legis». Multo minus ergo agitur de sententia iudiciali (Consilium certe non est Tribunal), vel de actu administrativo in re peculiari, de quibus agit can. 16 § 3. Non ergo requiritur, nec datur, aliqua superior instantia ad quam recursus proponi possit.

10. Tandem, iuxta art. 158, Consilium non ex officio procedere potest ad decernendum legem particularem non cohaerere cum lege universali, quod est valde rationabile, etenim nec decet nec possibile est ut Consilium investiget, de cohaerentia cum lege universali, omnes posibles particulares leges. Procedere debet, e contra, ad postulationem eorum «*quorum interest*»¹¹.

¹¹ Quo in casu, applicari debebit can. 57 § 2 de silentio auctoritatis quae decretum singulare dare debet, ita ut si intra tres menses responsum non dederit, responsum negativum praesumendum sit «*ad propositionem ulterioris recursus quod attinet*» apud Signaturam Apostolicam (art. 123)? Negative, quia iuxta dicta sub n. 9, heic non agitur de «actu administrativo in re peculiari».

Ut per se patet, primi quorum interest, ipsi sunt legislatores infra supremam auctoritatem, sive singuli sive coetus, qui poterunt dubitare de cohaerentia vel minus alicuius legis ab ipsis promulganda, sive cum determinata lege universali, sive in genere cum legibus universalibus, quique, antequam legem promulgent, certi fieri cupere possunt, etiam antequam competenti Dicasterio eam summittant, quando submittanda est.

Verum, ii «quorum interest» dicendi sunt etiam omnes illi qui illa lege particulari obligarentur, unde, ex tenore articuli, etiam singuli fideles ius habent recurrendi ad Consilium, quatenus putent legem iam promulgatam, quae ipsos ligaret, non cohaerere cum aliqua lege universali.

Hocce praescriptum apprime cohaeret cum indole ecclesiali Curiae Romanae quae ad roborandam communionem populi Dei adlaborat (art. 1), ideoque non solummodo «*postulat mutuum inter particularium Ecclesiarum Pastores et universae Ecclesiae Pastorem adiutorium*» (PB, Prooemium 12), verum etiam ut Curia Romana conferat ad deducendum in rem principium iuxta quod *singulis fidelibus* patere debet via ad communicationem cum Summo Pontifice, id quod non potest valere tantum de causis sive contentiosis sive criminalibus, quamquam in Codice de his asseratur principium (cf. can. 1417 § 1). Solemniter pronuntiat art. 13, de competentia in genere agendo Dicasteriorum, «*ea denique cognoscunt, quae Christifideles, iure proprio utentes, ad Sedem Apostolicam deferunt*».

Verumtamen, prout patet, et praesertim ratione habita psychologicae structurae mentalis non pauca-

ri», et can. 57 § 1, agit de actibus administrativis singularibus, iuxta titulum IV CIC sub quo continetur.

rum personarum, officium quod hic articulus imponit Consilio, potest esse onus revera enorme, et periculum praeterea involvit ne responsiones perfunctoriae nec ponderatae decretis generalibus firmentur.

Convenire videtur, quod non obstante principio liberae communicationis fidelium, pro hac saltem re norma similis statueretur ac ea quam ipsa Commissio pro interpretatione statuerat, die 9-12-1917, in genere quoad dubia, accipere scilicet interrogationes tantummodo ab Ordinariis, non a personis privatis, nisi tramite Ordinario (cf. Decisionem Commissionis: AAS 10 [1918] 77).

Notavisse convenire videtur quantum necesse sit ut pro exercitio competentiarum huius Consilii, quamprimum habeantur normae peculiare de quibus, in genere, art. 15. M.p. «Recognito» IV statuebat «Procedendi vero modus et ratio tempestive statuatur», quae tamen publici iuris saltem facta nunquam sunt¹².

11. In conclusione liceat alludere ad aliam competentiam quae, iuxta Praefectum Consilii inveniebatur in schemate praeparatorio Constitutionis, quam tamen in textu promulgato frustra quaeres. Scilicet, in verbis Cardinalis Praefecti «*munus ei tribueretur canonum, ubi necessitas postularet Codicem recognoscendi vel novis aptandi usibus, textus apparandi...*»¹³.

¹² Post m.p. «Recognito» scripsit OTADUY: «*Es importante que la práctica se formalice desde el comienzo; de lo contrario perdería gran parte de su eficacia*», etenim quamquam Concilium sit organum perennes, cogitari logice potest, quod quaestiones praesertim proponuntur in primis annis post promulgationem Codicis (Naturaleza y función de la Comisión Pontificia para la interpretación del Código, *Ius Canonicum* 24 [1984] 763).

¹³ Cf. CASTILLO LARA, Card R.J., De iuris canonici... (cf. supra nt. 6) 286.

Ut notum est, simile munus tributum fuerat a BENEDICTO XV (*Cum iuris canonici* III). Si quando Congregationes putarent necessaria nova decreta generalia, ab ipsis quidem perficienda erant, monendo Pontificem de discrepantia cum canonibus Codicis si quae esset. Talia decreta, post approbationem a Pontifice, Congregatio debebat ad Commissionem deferre, ut haec canonem vel canones redigeret «*ad decreti sententiam*», et ut indicaret quibusnam canonibus, novi substituendi essent; quod si praeter Codicem fuissent, tunc locum et numerationem, additis bis, ter, etc., ut numeratio subsequens maneret intacta, decideret. In proposito Schemate, de huiusmodi decretis a Dicasteriis aliis conficiendis sermo, prout videtur, non erat.

Verumtamen, prout etiam bene noscitur, huiusmodi dispositio ne semel quidem in praxim deducta est, quamquam, theoretice loquendo, utilis videretur pro evolutione et aptatione iuris.

Utile tandem videtur memorare, quod intra competentiam Consilii ad leges interpretandas minime comprehenditur competentia *supplendi* lacunas legum, seu sub specie interpretationis *novas* vere leges condere, nisi, ut patet, specificè talem acceperit potestatem a S.P. (cf. art. 18).

FRANCISCO JAVIER URRUTIA, S.J.